



Patriarchatus Latinus- Ierusalem
البطريركية اللاتينية الأورشليمية
المكتب الليتورجي
Officium Liturgicum

Die 27 Aprilis

S. Simeonis, secundi episcopi hierosolymitani et martyris

Memoria

Ant. ad introitum

Hebr. 12, 1-2

Per patientiam curramus propositum nobis certamen, aspi-
cientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui
pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem (*T.P. Allelúia*).

Collecta

Deus, qui per stultitiam Crucis,
eminentem Iesu Christi scientiam
beatum Simeonem episcopum et martyrem, mirabiliter docuisti:
concede nobis propitius, eius exemplo et intercessione,
ut crucem iugiter feramus et dignos fructus penitentiae faciamus.
Per Dominum.

LECTIO PRIOR

« Annuntiavi vobis testimonium Christi crucifixi »

Lectio Epistolae primae beati Pauli apostoli ad Corinthios
1, 18-21, 26-31 et 2, 2

Fratres :

Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem
qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est
enim: « *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam pru-
dentium reprobabo* »... Nonne stultam fecit Deus sapientiam
huius mundi?

Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per
sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis
salvos facere credentes.

Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sa-
pientes secundum carnem, non multi potentes, non multi no-
biles; sed quae stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat
fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, quae
non sunt, ut ea quae sunt destrueret. ut non gloriatur omnis
caro in conspectu Dei.

Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est
Sapientia nobis a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio,

ut quemádmódum scriptum est: « *Qui gloriátur, in Dómino gloriétur* ».

Non enim iudicávi scire me áliquid inter vos nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 125, 1-2 ab.4-5.6 (R.5)

R̄. *Qui sémant in lácrimis, in exsultatióne metent. (vel Allelúia).*

1 In converténdo Dóminus captivitátem Sion, facti sumus quasi somniántes.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, et lingua nostra exsultatióne. R̄.

2 Convérte, Dómine, captivitátem nostram, sicut torréntes in austro.

Qui sémant in lácrimis, in exsultatióne metent. R̄.

3 Eúntes ibant et flebant, semen spargéndum portántes; veniéntes autem vénient in exsultatióne, portántes manípulos suos. R̄.

ALLELUIA

1 Petr 4, 13

R̄. Allelúia V̄. *Quemádmódum comunicáti Christi passió-nibus gáudéte, ut in revelatióne glóriæ eius gaudeáti exsultántes.* R̄. Allelúia.

EVANGELIUM

« *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam* »

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Matthaéum 16, 24-27

In illo témpore :

Dixit Iesus discíplis suis: « Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam.

Quid enim prodest hómíni si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatióne pro ánima sua?

Filius enim hómínis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis, et tunc reddet unicuíque secúndum opus eius. »

Verbum Dómini.

Super oblata

Réspice, Dómine, oblatiόne quam in memória passióis beáti mártiris Simeónis tibi exhibémus, et fac nos hoc sacrificio

mortem Unigéniti tui digne annuntiáre, donec véniat. Qui vivit.

Ant. ad communionem

Mt 16, 24

Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me, dicit Dóminus (*T.P. Allelúia*).

Post communionem

Memóriam sancti Simeónis celebrántes, quaésumus, Dómine Deus noster, ut ex consórtio divíni convívii corda nostra flagránti accendántur caritáte. Per Christum.